



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum
Societatis Iesu instituit**

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Ignatij Generalatus initia. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

tali die, Sacerdotij dignitatem adeptus fuisset. Vir fuit in audiendis confessionibus apprimè exercitatus, tractandisque proximorum animis, & ad pietatem promouendis efficax, prudenterq; singulari: ex qua re magnam apud summos viros autoritatem erat cōsequutus. Eius mortui animaçum intrare cuidam peccanti cōspecta est, clarissima gloriæ circumfusa luce, Angelorumq; permixta choris, quod Ignatius ad Fabrum scripsit. Qua verò hora mortuus est, ipsem Ignatius qui ad D. Petri Montotij pro illo sacrificaturus pergebat, in Ponte Xisti, repente quasi horrore quodam perfusus restitit, & ad comitem suū Baptista Violæum, qui adhuc viuit, conuersus, Ioannes (inquit) Codurius, iam vita excessit.

IGNATII GENERA-
latus initia.

CAPVT II.

Prepositi Generalis munere suscep-
pto, ea Ignatius cœpit grauter
constituere, quæ tum ad vniuersitatem
Societatis administrationem, tum et-
iam ad domesticam disciplinam perii-
nerent. Atq; ut quo altius ascenderat,
eo

eo se gereret submissius, exēploq; suo
omnes ad veræ humilitatis studium
prouocaret, cūlinā statim' est ingressus: in eāq; permultos dies, & coquum
agere, & alia vilia ministeria domesti-
ca obire cœpit, tam accurate ac seriò,
vt quasi nouitius aliquis, sui tantum
profectus causa facere videretur. Et
quoniam per occupationes (quæ mul-
tæ quotidie & magnæ illi occurrebāt)
liberè atque integrè eiusmodi officijs
vacare non poterat: ita tempora diui-
debat, vt & negocijs grauioribus ad-
esset, & culinæ ramen non deesset.
Deinde Christianæ doctrinæ rudi-
menta tradere exorsus est, & pueros
instituere, quod in templo nostro, per
sex & quadraginta dies continenter
fecit: plurimique ad eum audiendum
veniebant quotidie, neque tam pueri
quam viri, & feminæ, indocti, docti q;.
Et cùm pia potius quam docta dice-
ret, & impolitis, atque improptijs ver-
bis vteretur: illa tamen rudia, & in-
cultæ verba fortia erant, ac robusta,
audientiumque animos mouebant,
nō ad inanē plausum, atq; admiratio-
nem, sed ad fletum, & vitiorum dete-
stationem salutarem. Itaq; cùm finem
dicēdi fecisset Ignatius, permulti se ad

L 3.

Sa-

Sacerdotum pedes gemebundi adu-
luebat: ita commutati animis, dolore
que commoti, ut præ lacrymis & sin-
gultibus, vix possent peccata sua con-
fiteri. Quod P. Laines, qui tum confes-
sionibus audiendis operam dabant, mi-
hi sæpe affirmauit. Neque mihi tamen
hoc nouum aut admirabile videtur, cū
ea quæ tum vidi, memoria repeto.
Nam q; memini, ea energia Ignatium,
atque spiritus feruore, vici ba facere so-
litum, vt flagrare charitate ipse, & ar-
dentes diuini amoris faces quodam-
modo iaculari videretur: vt etiam illo
tacente, vultus ipse, & totius oris in-
flammatio incendere facilè auditores
posset, eorumque animos quounque
vellet, impellere. At q; vt Dei in illo lo-
quentis virtus, simulque Ignatij humi-
litas, suique contemptus magis eluce-
at, illud non prætermittam. Hoc ego
tempore puer eram, repetebamq; po-
stidie, quæ pridie Ignatius docuisset.
Cum autem dubitarem, ne præclaræ
sententiæ, & ad mores hominū pieta-
te confirmandos maximè vtiles; mi-
nus contortæ ferrentur, obscuraten-
turq; verborum improprietate, Ignat-
ium monui, vt curam aliquā in expo-
licanda oratione poneret. Et ille, qua-

gra

erat humilitate, & incredibili mode-
stia prædictus, blandè ac suauiter, Bene
(inquit) mones, obserua(amabo)dili-
genter me dicentē; & quicquid vitio-
sum videb.tur, notato, vt me corrigas.
Feci postridie, Ignatus quod iusserat,
calamo notare cœpi linguæ Italice
errata. Porrò tam multa occurrabant,
vt non partem aliquam, sed totam o-
rationem Hispaniæ mis perpurgādam
iudicare. Itaque emendatione despe-
rata, annotare desij, & quid accidisset,
ad Ignatium retuli. Tum ille, quā sole-
bat vultus hilaritate, Quid(inquit)Pe-
tre faciemus Deo? quasi dicceret, nemo
potest aliquid accipere, nisi ei datum
fuerit de super; ego autem à bonorum
omnium largitore, non plus, quām
quod vides, accepi: conferam tamen
in eius laudem hoc quidquid est, quod
ut Deo redderem, ab ipso accepi. Ita-
que sermo eius & prædicatio eius, non
in persuasilibus humanæ sapientiæ
verbis, sed in ostensione spiritus & 1.Cor.2.

virtutis. Neque enim Regnum

Dei in sermone est, sed
in virtute.

L 4

FRAN.